

# EPISTULA LEONINA

## CLIII

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGIAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM QUINQUAGESIMAM TERTIAM (153) !**

## ARGUMENTA

### EX ORIENTE LUX (III) – Quid sentiant Europaei orientales

1. BELLA GERANT ALII .....03 - 06
2. *Mateusz Morawiecki* gubernationis Polonicae praepositus..... 07 - 12
3. *Milos Zeman* iterum praeses Tsechiae electus.....13 - 15
4. Zemaniana oratio natalicia..... 16 - 17
5. Centum viginti decibellia (120 dB)..... 18 – 20
6. ECHUS VOCES (*Kovács, Fritsch*)..... 21 - 22

### LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

#### ***Cara Lectrix, Care Lector,***

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam quinquagesimam tertiam. – Pergimus agere de nationibus Europae orientalibus; haud inutile mihi esse videtur novisse, quid de profugis (quales adhuc dicuntur) recipiendis dicant Tsechi et Slovaci et Poloni et Hungari. Nam homines nuper demum dictaturam perpessi acrius quam ii, quibus semper arrisit sol libertatis, legunt ephemeridum relationes (tam acriter, ut legant quoque subtextum lineis intersertum), acrius perspiciunt mendacia diurnariorum, acriusque sentiunt cerebra sua lavari, ne plura, ut brevius dicam: tales homines potius agnoscunt indicia novae dictaturae imminentis. Audiatur et altera pars! - Addidi nuntium mulierum, quae novam iniciativam condiderunt, cui nomen imposuerunt “Centum viginti decibellia” Quaeris, quidnam hoc sibi velit? Lege et mirare! ...Denique te rogo, cara Lectrix, care Lector, ut legas litteras Iosephi Fabri (p.21) et Andreae Fritsch (p.22) benevolentissimas, qui Leonem Latinum defenderunt. Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 153 tolle et lege et laetare...!*

Medullitus Te salutat  
**Nicolaus Groß**  
 Sodalit Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
 Die Lunae, 12. m.Febr. a.2018**



## **BELLA GERANT ALII TU FELIX AUSTRIA NUBE !**

MAXIMILIANUS I. eiusque familia. Hanc picturam pinxit BERNHARDUS STRIGEL (1460-1528). Maximilianus I. (1459-1519, ex a.1508 imperator) multum valuit ad rationem connubia iungendi politicam, qua eius dynastia est insignis. Verisimile est hanc imaginem a.1515 Vindobona in urbe esse pictam propter sponsalia nepotum Maximiliani duplicia. Postea adscripta sunt haec: de Maximiliano: CLEOPHAS.FRATER.CARNALIS.IO/SEPHI:MARITI DIVAE VIRG.MARIAE; de Philippo Pulchro: I/IACOBVS: MINOR EPVS:/HIEROSOLIMITANVS; de Maria Burgundica: MARIA CLEOPHAE SOROR/VIRG.MARPVTATIVA MA/TER TERA.D.N., de Ferdinando: III/IOSEPH IVSTVS, de Carolo: II/SIMON ZELOTES CONSOBRINVS. DNI.NRI.

## BELLA GERANT ALII ...

Gens nobilis Habsburgensium inde ex medio aevo exeunte potestatem sui territoriumque iterum iterumque eo augebat, quod se connubiis cum aliis gentibus iungebat. Ex aetate baroccâ haec ratio regni augendi pacifica describitur disticho celeberrimo, quod factum est synthēma<sup>1</sup>:

***Bélla geránt aliī, tu félix Áustria nūbe.***

***Nám quae Márs aliīs, dát tibi díva Venús.***

Priora verba huius synthematis iam inveniuntur in Ovidii Heroidibus (13,82). Ibi legitur:

*fortius ille potest multo, quam pugnat, amare.*  
*bella gerant aliī; Protesilaus amet!*

Ante Bellum Troianicum ab oraculo praedictum erat eum Graecum, qui primus terram Troianorum ingressus esset, brevi post moriturum esse. Protesilaos, qui nuptiis cum Laodamiâ celebratis Troiam erat profectus, ab Hectore est interfectus. Dei adversus eius mortem Protesilaos permiserunt, ut ad uxorem reversus eam per paucas horas amaret. At Laodamia amore commota maritum mortuum secuta est. Locus similis, quod est fortasse exemplar vetustissimum, invenitur in Iliade (5,428 sq.), ubi Iuppiter Venerem consolatur verbis sequentibus:

**οὐ τοι, τέκνον ἐμόν, δέδοται πολεμήια ἔργα,  
ἀλλὰ σύ γ' ἰμερόεντα μετέρχεο ἔργα γάμοιο!**  
*Non tibi, filia mea, commissa sunt bellica opera,  
sed tu quidem desiderabilia obi munera nuptiarum!*

<sup>1</sup> synthēma, -atis n. orig. *Motto*. cfr verbum neograecum. <https://el.wiktionary.org/wiki/σύνθημα>

**σύνθημα** *ουδέτερο*. 1. φράση με πολιτικό περιεχόμενο που τη φωνάζουν ρυθμικά οι συγκεντρωμένοι σε μια πολιτική συγκέντρωση. – 2. φράση με πολιτικό περιεχόμενο γραμμένη σε τοίχο. – 3. εμβληματική φράση. – 4. (*στρατιωτικός όρος*) η μία από τις δύο μυστικές λέξεις που χρησιμο-ποιούνται για αναγνώριση <http://latinlexicon.org/definition.php?p1=2058328> synthēma, atis, n., = σύνθημα or σύνθεμα (a token agreed upon), a passport, Hier. Ep. 118, 1. De sensu verbi palaeograeci cfr LIDDELL-SCOTT, Greek-English Lexicon, Oxford 1983, p.1717, s.v.: « ...anything agreed upon, preconcerted signal... »

Verba quae sunt »...tu felix Austria, nube!« vario modo possunt intellegi. Unâ ex parte iisdem exprimitur facultas Habsburgicorum potestatem connubiis aptê iunctis augendi. Ex alterâ parte hoc distichon potest intellegi irrisorium, quo dicatur Habsburgenses parum aptos esse ad bella gerenda et foedera iungenda. Itaque hi versûs sensu negativo adscripti sunt *Matthiae Corvino*, rêgi Hungariae, adversario Friderici III. imperatoris Habsburgici, aut sensu positivo ipsi Maximiliano I., Imperatori Habsburgico. At interim ab historicis affirmatum est utramque adscriptionem non esse veram. Nam synthema ipsum in fontibus non invenitur ante saeculum septimum decimum<sup>1</sup>.



**Matthias Corvinus (hungaricê: *Hunyadi Mátyás* )**  
**Rex Hungariae et Croatiae (1458-1490)**  
 Imago Codicis Bibliothecae Guarnacci, Volterra. ca. a.1490

<sup>1</sup> Elisabeth Klecker: *Bella gerant alii. Tu, felix Austria, nube! Eine Spurensuche*. In: *Österreich in Geschichte und Literatur*. 41 (1997), S. 30–44. Der Hinweis auf einen unbekanntenen Autor aus der Barockzeit auch schon bei [Alphons Lhotsky](#): *Quellenkunde zur mittelalterlichen Geschichte Österreichs*. (Mitteilungen des Instituts für Österreichische Geschichte, Ergänzungsband 19), Graz 1963, S. 71.



**MAXIMILIANUS III.  
Habsburgicus  
Imperator Sancti Imperii Romani  
(1452-1493)**

**HUNC TEXTUM**

**E SYMBOLA WIKIPEDIANA**

[https://de.wikipedia.org/wiki/Heiratspolitik\\_der\\_Habsburger#Identit%C3%A4tsstiftendes\\_Motto](https://de.wikipedia.org/wiki/Heiratspolitik_der_Habsburger#Identit%C3%A4tsstiftendes_Motto)

**EXCERPTUM**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS**

# EX ORIENTE LUX (III): Europaei orientales quid sentiant



## Visegrád

**Visegrád** ['viʃɛgra:d] (theodiscê *Plintenburg*) est oppidum (ius oppidi habet ex a.2000), quod ad Danubium, in *Pest* Comitatu Hungariae, quadraginta ferê chiliometris ab urbe *Budapest* versus septentrionem situm est. A Romanis hoc oppidum vocatum est *Pons Navatus*. Idem insigne est arce in monte 247 metra alto et ad genu Danubii fluminis sitâ, quae circa annum 1247 aedificata et *Turri Salomonis* instructa est. A.1323 eidem arci additum est palatium regale. Nomen oppidi slavicum, quod est *više grad* („arx alta“) saeculo nono exortum spectavit ad castellum Romanum in colle *Sibrik* aedificatum. Nomen oppidi translatum est ad **Gregem Visegrád**, foedus civitatum Slovaciae, Poloniae, Tsechiae, Hungariae (qui grex appellatur etiam V4).

# ECCE POLONUS INGENUĀ URBANITATE, DURITIĀ CHALYBEIĀ<sup>1</sup>



## ECCE MATTHAEUS (*Mateusz*) MORAWIECKI NOVUS GUBERNATIONIS POLONICAE PRAEPOSITUS.

Suaviter in modo, fortiter in re: *Mateusz Morawieckius*, novus gubernationis polonicae praepositus, particeps est novae generationis politicorum Europae orientalis, qui Bruxellensibus difficultates sunt allaturi. *Scipsit Boris Kálnoky, in Latinum convertit LEO LATINUS.*

*Igor Janke(us)* publicator de *Matthaeo Morawieckio* novo gubernationis polonicae praeposito: »Num ille« inquit »est technocrates? Nequaquaquam«. Idem, qui Morawieckium ex multis annis pernovit, sentit ei esse duas qualitates praecipuas: incredibilem animi duritiam – et sensum valdê politicum.

<sup>1</sup> orig. »Stählerner Gentleman«, in: DIE WELTWOCHEN (ephemeris Helvetica, quae editur Turico in urbe) Nr. 5, d.1. m.Febr. a.2018, p.48 sq.



Īdem minister prius oeconomiae atque rei fiscalis, qui antea fuerat argentarius, videtur laevis, limatus, asperitatis expers. Commentatores eum describunt virum, qui coenotypo<sup>1</sup> europaeo multo propinquior sit quam pars sua politica dextro-nationalis, quae appellatur PiS (*Prawo i Sprawiedliwość*, i.e. *Ius et Iustitia*). Virum, qui rem acu tangat et evitet dissonantias.

At Igor Jankeus verbis effert Matthaeum praecipuê didicisse, quomodo metum mortis passus in fine victoriam pareret.

Matthaeus, ut erat filius *Cornelii Morawieckii* dissidentis, qui passus est persecutionem dictaturae communisticae, ipse particeps fuit resistentiae anticomunisticae. Sed ab astynomis secretis cum aliis tum eâ de causâ praecipuê urgebatur, quâ illi sciscitabantur, ubi pater lateret. Jankeus: »Illi« inquit, »pistoleum Matthaei capiti appresserunt, eum autocineto ante urbem abductum monuerunt, ut se praepararet ad finem suum obeundum. Conati sunt Matthaeum deicere ex aedificio decem tabulatorum, in cuius tectum is fugerat persecutores suos«.

### **Quidcumque is suscepit faciendum, feliciter succedit**

His rebus omnibus animam Matthaei esse valdê corroboratam, eum esse incredibiliter obduratum, idque Matthaeo nunc expedire in re publicâ agenti. Praecipuê eundem cogitare summo mentis acumine, fines sibi proponere dilucidos, Poloniam patriam suam valdê amare. Jankeus: »Matthaeus« inquit »est vir politicus unus ex iis, qui sunt summae spei, non solum in Poloniâ, sed in totâ Europâ«. At hoc eo demum tempore penitus patefactum iri, quo »procella super Poloniam saeviens« - i.e. litigatio, quae cum Bruxellensibus fit de polonicae civitatis iuridicae debilitatione putativâ - esset sedata et Bruxellenses et Varsovienses inter se denuo acturi essent solitâ cum urbanitate.

Quidcumque is vir suscepit faciendum, feliciter succedit. In causâ huius successûs cum sit ratio rei suscipiendae, operae pretium est considerare Matthaei cursum honorum, quatenus usque nunc factus est. Īdem postquam historiae et iurisprudentiae et oeconomiae studuit pernoscendis, unus fuit de grege, qui cum Unione Europaeâ egit de Poloniâ cooptandâ. Ex a.1998 Matthaeus cooperator fuit *mensae*

<sup>1</sup> \*coenotypus, -i m. *mainstream*. cfr ngr.

*argentariae Zachodnianaе WBK*, quae est *Gregis Santanderiani*. A.2001 Matthaеus factus est huius mensae argentariae procurator, a.2007 praepositus. Jankeus de Matthaеi cursu honorum argentario dicit haec: »Intra spatium paucorum annorum hanc mensam Zachodnianaм a loco octavo mensarum Poloniae maximorum sustulit ad tertium«. Hoc ei non contigit nisi quod pugnando assecutus est veram potestatem decertandi, quod non solet fieri in sedibus magnarum mensarum Europae occidentalis »austro-europaeis«. Quod testimonio est societatem maternam Matthaео tam vehementer confisam esse, ut ei daret plenipotentias, quales non habent alii argentarii, qui sunt positionis comparabilis.

Multi observatores stupefacti sunt, quod Matthaеus a.2015 ausus est ad rem publicam accedere. Primo îdem vir in consistorio, cui praefuit *Beata Szydlo* praeposita gubernationis, factus est minister evolutionis. Ex eo quod Morawieckius simul factus est praeses ministerialis vicarius, apparet *Jaroslaum Kaczynski* partis politicae Iuris Iustitiaeque (PiS) praepositum credidisse eum aptum esse ad honores maiores accipiendos. At eo demum quod Matthaеus partis politicae membrum factus erat, facere potuit gradum proximum: a.2016 îdem factus est minister fiscalis eoque persona consistorii Beatae Szydlo omnium gravissima. Nam *de facto* Morawieckius nunc rationem politicam determinavit, cuius primas lineas iam prius adumbraverat in *Consilio Morawieckiano Evolutionis Sustentabilis*. Jaroslaus nunc intellexit Matthaеum esse virum talibus facultatibus praeditum, qualibus optimê uteretur ad activam rationem res sociales familiasque fovendi ineundam. Haec ratio politica cum esset sumptuosa, Morawieckius iussus est curare, ut oeconomia satis augetur et vectigalia acciperentur maiora. M.Dec. a.2017 Matthaеus factus est praeses ministerialis, vix plus anno postquam factus est minister fiscalis. En cursum honorem celeriter factum. Num cursum honorum sibi proposuit finem praecipuum? Jankeus sentit hoc: »Matthaео negotium politicum potius est sacrificium, quod offert nationi suae«. Morawieckium munere politico suo fungens multo minus salarium accipere quam antea munere suo argentario, praeterea munere politico suscepto ei multo minus temporis restare cum familiâ degendum (qui est maritus et pater quaternorum liberorum), eum ad rem publicam

accessisse »quia civis rei publicae consulens iam semper cogitaverat atque egerat ratione politicâ«.

Matthaeus cum maximê munus suscepisset, talem rationem ducendi obtinuit qualem antea munere argentario, id est egit manu durâ, fine dilucido: Nam dimisit nonnullos ministros verbosos, libenter quadam cum petulantia ad publicum prodeuntes, qui minus apti esse videbantur ad scaenam Europaeam. Morawieckius ipse est multo limatior, sed in re ipsâ haud minus durus et ad controversiam paratus. Itaque Matthaeus nuper praedicavit Poloniae systema iudiciale esse »independentius quam germanicum«.

### **In rebus europaeis agendis Morawieckium tam eleganter se gerere quam Kurzium**

Matthaeus autem occidentales reddidit indignantissimos eo quod legem meditatus est, quâ puniendus esset is, qui uteretur notione »polonici ergasterii concentrationis (KZ)«. Causam Morawieckius attulit, quod nacistarum ergasteria concentrationis fuerunt germanica, non polonica. Matthaeus: »Sententia« inquit, »quâ homines dicti sunt *'operando liberari'* (i.e. *Arbeit macht frei*), non est polonica«. Hôc modo Matthaeus animos electorum sibi conciliat necnon in re ipsâ rectê iudicat – etiamsi verum est in holocausto a nonnullis quoque Polonis interfectos esse Iudaeos aut nacistis traditos. Haud minus quam praecessores sui Morawieckius recusat Civitatem Europae Universalem – qui e contrario oeconomiam Poloniae vult ad rationem modernam redigere et efficere, ut patria sua referatur in numerum nationum Europae principalium.

At hoc fieri non potest eo quod Poloni cum consortibus Europaeis in aeternum loquuntur cum gestibus negandi. Matthaeus Morawieckius similiter ac Sebastianus Kurz Austriae novus cancellarius scit agere magnâ cum elegantiâ, sed magnâ etiam constantiâ rem suae nationis defendendi. En Kurzium atque Morawieckium – novos viros politicos Europae mediae ad scaenam Bruxellensem prodeuntes. Idem aliter ac *Victor Orbán* praeses Hungariae ministerialis, qui saepe utitur verbis duris, volunt suaviter in modo, fortiter in re post siparia progredi sine proeliis verborum coram publico gerendis. Qui cum primoribus

politicis atque politicis in Europâ et extra Europam agentes confidunt suâ scientiâ peritiâque.

Igor Jankeus sic sentit: »Matthaeus sibi eum finem proposuit, ut fieret coenotypus, sed non eo, quod se subiciat, sed eo, quod ipse coenotypum europaeum activê efformet«.

Media Europa *Orbánium* et *Kurzium* et *Morawieckium* necnon *Andream Babisiium* novum Tsechiae praesidem ministerialem peperit novos duces viros vigore et facultate ducendi praeditos Unionis Europaeae participes. Qui in Europâ occidentali homines politicos quaesiverit novos, qui sciant animos hominum inflammare, neminem inveniet, nisi numeraveris *Immanuelem Macron*. Fortasse inde apparet in Europâ paulatim pondera e locis suis moveri, ex occidente versus orientem.

**HAEC SYMBOLA, QUAM SCRIPSIT**  
***BORIS KÁLNOKY, D.1 M.FEBR. A.2018***  
**PUBLICATA EST**  
**IN EPHEMERIDE HELVETICA,**  
***C.T. DIE WELTWOCHÉ.***

## TSECHIA IN MUNDO LAEVITATIS URBANAE MILOS ZEMAN APPARET VIR FRUGI



*Milos Zeman* praeses Tsechiae electus est – quem diurnarii occidentales putant esse hominem ex macco et malefico commixtum, sed multis Tsechis videtur esse homo sui ipsorum generis. Quadamtenus comparatur cum *Donald* *Trump*.

Scriptit *Boris Kálnoky* (*WELTWOCH* 5/2018, p.49), Latinê reddidit LEO LATINUS.

Epistula gratulatoria a *Donald* *Tusk* Consilii Unionis Europaeae praeposito scripta erat quadamtenus frigidê: »Velim tibi gratulari«, ibi scriptum erat, et paene videbantur verba lineis interscripta esse, quae sunt: »Sed hoc facio haud libenter«. Omnino aliter sonuerunt verba a *Donald* *Tusk* scripta ad *Saulium Niinistö* Finniae praesidem etiam recenter electum: »Sinas me, quaeso, Domine, tibi medullitus gratulari de victoriâ tuâ historicâ«.

Procul dubio *Zemanius* non est Unioni Europaeo vir dilectissimus, ne loquamur de diurnariis occidentalibus. Relationes de eodem viro scriptae solent incohari citandis sententiis eius famosissimis – e.g. illâ, quâ *diurnarios* appellavit *idiotas mente debiles* et cum *Vladimiro*

*Putin* Russiae praeside iocatus est *illos esse interficiendos*. Aut illâ, quâ dixit se cupere activistas circumiectorum *comburare, in eos mingere, eosque sale condire*. Ergo Zemanus est vir, qui in mundo laevitatis urbanae appareat praeditus esse priscâ frugalitate.

### **„Primo respiciamus terram nostram“**

Tsechi hunc modum loquendi diligunt, saltem quaedam eorum maioritas parva (quinguagenae binae centesimae eorum partes), quae nunc iterum decrevit, ut Zemanus fieret praeses, cuius competitor fuit *Georgius (Jiri) Drahos* liberalis, proeuropaeus, urbanus. Tsechi eius electores Zemanum putant esse virum politicum, qui id quod ipsi cogitant tam asperê eloquatur, quam ipsi eloquerentur praesides si essent.

Admigratio migratorum islamicorum, quae fit in Europam, a Zemanio dicta est *invasio*, fundamentalistae islamici comparati sunt cum *nacistis*, qui habiles essent ad novum *holocaustum* faciendum, nisi sisterentur. Qui familiariter utitur Russiae praeside *Vladimiro Putin*, recusat Unionis Europaeae sanctiones oeconomicas in Russiam statutas, interdum vituperat NATONem, recusat integrationem Unionis Europaeae maiorem necnon proposuit *referendum*, quo decerneretur, utrum Tsechia ex Unione exiret necne. Num reverâ fieri possit, ut talis exitus ad veritatem adducatur, a Zemanio non dicitur.

Assensores Europae firmiter coadunandae certê non gaudent de electione Zemanii. *Primo* enim ex eâdem apparet in Europâ adhuc augeri inclinationes *populisticas*. *Secundo* electione Zemanii efficitur, ut *Andreas Babisius*, novus Tsechiae praeses ministerialis, qui etiam habetur pro viro *euroseptico* (saltem îdem recusat, ne augeantur potestates transnationales), plus habeat, ubi perficeret gubernationem suam conformandam. Babisius nuper quidem electus est, sed usque nunc nemo cum eodem vult coalescere. Qui adiuvabitur a Zemanio. *Tertio* autem verisimile est Babisium Zemanio permissurum esse rationem politicam rerum externarum ideoque europaeam partim dirigendam.

At si rem accuratius consideraverimus, intellegemus multos diurnarios non aliud quidquam Zemanio obicere nisi quod fovet voluntatem maioritatis electorum nationisque suae commoda.

Dubium non est, quin sanctiones contra Russiam statutae noceant oeconomiae tsechicae, sed iisdem Russia non commoveatur, ut aliquatenus concedat. Eo quod Zemanus recusat immigrationem muslimicam, sequitur plerorumque Tsechorum optata. Necnon eo quod Unionem Europaeam in dubium vocat, Zemanus reddit sententiam maioritatis Tsechorum.

Tamen non licet Zemanium appellare anti-europaeum. Īdem Tsechiae praeses recusat, ne Unio Europaea redigatur ad rationem foederalem. Eâdem enim putat civitates nationales denuo debilitari. Itaque interdum minatur se velle illâ ratione introductâ proponere *referendum*, quo decernatur, utrum Tsechi ex Unione exeant necne. Sed primo munere praesidis suscepto in castro Pragensi vexillum Unionis Europaeae ostendit, quod ne faceret eius praecessor *Vaclav Klaus* – qui reverâ est Unionis Europaeae adversarius vehemens – recusaverat. Ceterum Zemanus, si satis callidê se gesserit, poterit luctando efficere, ut Bruxellenses nationi suae concedant commoda.

*Milos Zemanus* aliquando comparatus est cum *Donald Trumpio* praeside Civitatum Unitarum. At nonne synthema illud Trumpianum, quo prima respicienda est *America* aut hoc Zemanianum, quo prima respicienda est *natio nostra*, in omni democratiâ verâ respondent summae rei, quam electores mandant rerum publicarum gubernatoribus? Zemanus suum synthema vult observare.

*Boris Kálnoky*

<http://zuerst.de/2015/12/27/weihnachtsansprache-des-tschechischen-praesidenten-es-ist-unser-land/>



**MILOS ZEMAN PRAESES TSECHORUM A. 2015 ORATIONEM NATALICIAM HABENS**

»... itaque politicis rebus externis inest atra macula infamis, quae est unda migratoria. Ii autem politici qui coram eâdem undâ oculos claudunt contententes nos nondum illâ esse subrutos nec esse ullam causam sollicitandi, in memoriam mihi revocant virum quendam olim burgimagistrum Pragensem. Īdem burgimagister inter fluminis inundationem in ponte stans declaravit: »Status rerum noster est excellentissimus«. At duabus horis postea inundata est transvia Pragae subterranea.

Interdum mihi videor more Cassandrae loqui, quae monet, ne equus ligneus trahatur in urbem, sed mihi est persuasissimum non fieri ex adverso motionem profugorum spontaneam, sed invasionem organizatam. Ii, qui comprobant immigrationem, loquuntur de misericordiâ et solidaritate. Miseret nos hominum senilium et aegrotorum, praesertim infantium. At maxima pars migratorum illegalium sunt viri iuveniles familiarum expertes. Itaque quaero: »Isti viri quidni arma capiunt pro propriae terrae libertate et contra Civitatem Islamisticam pugnaturi?« Ratione obiectivâ si rem consideramus, dicendum est istos viros fugâ suâ Civitatem Islamisticam confirmare. At animo fingere non possum tempore Protectoratûs Bohemiae atque Moraviae iuvenes nostros aufugisse, ut





in Britanniâ maiore acciperent subventiones pauperum. Iidem enim eo fine fugerunt, ut pro libertate terrae suae propriae pugnarent. Scilicet hoc valere etiam ad eos, qui terram suam relinquunt, quamquam ibi nullum bellum fit. Nam abitu eorum terra fit etiam egenior. Cum d.17. m.Nov. adiutores migratorum manifestationem suam praeparabant, ab aliquâ ministracione nuntiorum certior factus sum foliis huius manifestationis commendaticiis inesse verba scripta quae sunt: *Haec terra non est nostra, salvete profugi!* Deinde quidam organisatoribus suasit, ut evitarent verba nimis stulta, et itaque illa verba mutaverunt in haec minus stulta: *Haec terra est nobis omnibus, salvete profugi!* In fine nuntii mei natalicii velim vobis dicere duas sententias dilucidas: "Haec terra est nostra terra. Et haec terra non est, nec potest adesse omnibus." Cari amici, vobis exopto novum annum felicem laetumque«.

Milos Zeman Germanorum culturam salutatoriam (*Willkommenskultur*) dixit esse simplicitate animi exortam: »Si vivis in terrâ, ubi puniris, quod pisces cepisti sine diplomate hamandi<sup>1</sup>, sed nullam poenam luit is, qui limitem transgressus est sine valido syngrapho viatorio<sup>2</sup>, tu habes ius plenum dicendi hanc terram gubernari ab idiotis mente debilibus«<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> diplōma hāmandī *theod.* Angelschein.

<sup>2</sup> syngraphus viātōrius *theod.* Reisepass.

<sup>3</sup> <http://zuerst.de/2015/12/27/weihnachtsansprache-des-tschechischen-praesidenten-es-ist-unser-land/> „Falls Sie in einem Land leben, in den Sie für das Fischen ohne Angelschein bestraft werden, jedoch nicht für illegalen Grenzübertritt ohne gültigen Reisepaß, dann haben Sie das volle Recht zu sagen, dieses Land wird von Idioten regiert.“ (mü)

## CENTUM VIGINTI DECIBELLIA

*»Nos in Hungariam nulla importabimus scelera, nullam tromocratiam, nullam homophobiam, nullumque synagogos accendentem antisemitismum. Hic nullae erunt tribus urbium, quae erunt extra vim legum, nullus erit tumultus massalis. Hic non fiet seditio migratorum nullaeque erunt catervae eorum, qui venentur uxores filiasque nostras«.*

VICTOR ORBÁN PRAESES HUNGARIAE MINISTERIALIS



ECCE PUELLAE GERMANAE QUODAMMODO INEBRIATAE



ECCE PUELLAE GERMANAE EBRIETATE FINITĀ CRAPULAM PATIENTES.

<http://www.120db.info/> <https://gloria.tv/video/EUP2ZQpg6hJx3rHm3UPtTzjf6>

## HEUS MULIERES ! DEFENDITE VOS !

Nomen meum est Mia<sup>1</sup>. Nomen meum est Maria<sup>2</sup>. Nomen meum est Ebba<sup>3</sup>. – Ego cultro percussa sum in *Kandel*. Ego constuprata sum in *Malmö*<sup>4</sup>. Ego vitata sum in *Rotherham*<sup>5</sup> et ego autocineto obtrita sum in *Stockholm*. – Res per horas durabat nec adfuit quisquam me adiuturus<sup>6</sup>. Ego sum aliqua mulier. Ego sum Mia et Maria et Ebba. Illae possent esse ego et ego possem esse illae. Delicturi ubique insidiantur. Cum in viridario cursitamus<sup>7</sup>. Cum operatae vespere domum venimus, cum in statione laophoricâ exspectamus. Nos non sumus tutae, quia vos recusatis, ne limites nostros custodiatis. Quia vos recusatis, ne attendatis, quis terram nostram intret. Quia vos recusatis, ne sceleratos e terrâ repellatis. Quia vos mavultis omnem vituperationem vestri censurâ prohibere quam nos audire. Quia vos mavultis nos mori quam vos confiteri errores vestros. Propter vestram rationem admigrationis politicam mox nos exponemur majoritati virorum iuvenilium, qui exorti sunt ex societatibus archaicis, in quibus mulieres despiciuntur. Vos hoc scivistis, vos hoc admisistis. Vos nos praedae dedistis, vos nos sacrificavistis. Vos praedicatis feminismum iuraque feminarum. At reverâ vos estis adversarii feminarum. Nos in memoriam vobis revocamus victimas. Nos curamus, ut vos mordeamini conscientîâ malâ, nec vos urgere et vexare desinimus. Nos vobis afferimus ea quae vos expellere vultis e memoriâ vestrâ. At nos non iam abibimus. Nos non sumus ferae venaticiae, nos non sumus servae, nos non sumus praedae bellicae necnon sumus damna collateralia. Nos sumus filiae Europae. Nos recordamur omnem mulierem constupratam, vitatam, necatam.

<sup>1</sup> <https://www.welt.de/vermischtes/article172543945/Kandel-Staatsanwaltschaft-sieht-in-Toetung-von-15-Jaehri-ger-jetzt-Mord.html> - <http://www.politikversagen.net/die-kuppler-von-kandel>

<sup>2</sup> <https://www.welt.de/vermischtes/article172868730/Mordprozess-in-Freiburg-Das-ist-doch-nur-eine-Frau-sagte-Hussein-K.html> - [https://www.focus.de/panorama/welt/hussein-k-verbluefft-das-gericht-prozess-um-mord-an-maria-l-ein-auftakt-mit-vielen-bizarren-augenblicken\\_id\\_7557811.html](https://www.focus.de/panorama/welt/hussein-k-verbluefft-das-gericht-prozess-um-mord-an-maria-l-ein-auftakt-mit-vielen-bizarren-augenblicken_id_7557811.html)

<sup>3</sup> <https://opposition24.com/stockholm-ihr-name-ebba/307701>

<sup>4</sup> cfr - <https://voiceofeuropa.com/2017/12/sweden-fourth-woman-gang-raped-in-two-months-in-migrant-bastion-of-malmo/> - <http://www.dailymail.co.uk/news/article-5197675/Hundreds-protest-Sweden-series-gang-rapes.html>

<sup>5</sup> [https://de.wikipedia.org/wiki/Missbrauchsskandal\\_von\\_Rotherham](https://de.wikipedia.org/wiki/Missbrauchsskandal_von_Rotherham) - [https://en.wikipedia.org/wiki/Rotherham\\_child\\_sexual\\_exploitation\\_scandal](https://en.wikipedia.org/wiki/Rotherham_child_sexual_exploitation_scandal)

<sup>6</sup> <http://www.epochtimes.de/politik/europa/schweden-gruppenvergewaltigung-stundenlang-im-facebook-live-stream-drei-taeter-verhaftet-a2031114.html>

<sup>7</sup> cursitō, -āre: i.q. angl. *to jog*; cursitātiō, -ōnis f. *jogging*.

Quam vobis omnibusque in memoriam revocabimus. Nos sat diu tacuimus. Nunc nos incipimus resistere. Matres, mulieres, sorores, filiae Europae! Haec civitas vos non tutabitur. Nemo scit, quis nostrum futura sit proxima. Age ipsa modereris fortunae tuae! Nam tuum nomen est Mia. Tuum nomen est Maria. Tuum nomen est Ebba. Illae possent esse tu et tu posses esse illae.

Sic ne pergat res fieri: sparsimentum piperitum<sup>1</sup> et sirena palmaris<sup>2</sup> interim sunt instrumenta, quae necessario imponantur perulis mulierum Europae. Cursitatio nocturna nobis facta est exercitatio corporis omnium periculosissima. Hoc nos non diutius patiemur. Nos incepta nostra dispensabimus. Dispensabimus, defendemus, repellemus. 120 decibellia sunt intentio soni, qui êditur sirenâ palmari usitatâ, quam interim multae mulieres Europaeae secum ferunt. „120 db“ est nomen initiativae<sup>3</sup> nostrae resistendi, quae a mulieribus condita est pro mulieribus. 120 db est vera exclamatio, quae effecta est vero periculo mulieribus in Europâ imminente. Nos ibimus eo, ubi feminae factae sunt victimae (*Kandel, Freiburg*). Nos vos quaeremus et cogemus, ut rationem reddatis. Nos loquemur magnâ voce: Tu autem age particeps fias et facias vocem tuam magnam! In mediis socialibus sub signo **120 db** refer, quomodo experta sis superalienationem, molestiam, violentiam. Ego volo te agere! I ad situm retialem [www.120db.info](http://www.120db.info) et fi particeps motûs nostri! Participa et loquere voce magnâ!



<sup>1</sup> \*sparsimentum piperitum theod. Pfefferspray.

<sup>2</sup> sîrēna palmāris theod. Taschenalarm.

<sup>3</sup> \*iniatiātiva, -ae f. [Acta Apostolicae Sedis 69,371]

# ECHUS VOCES

**József Kovács**

Die Martis, 6. m.Feb a.2018 h.11:20

Optime Domine Gross,

dolenter ac satis attonitus legi nuntium cuiusdam lectoris, qui Epistulas Leoninas postero tempore legere desinit, quia opiniones quaedam non ad suam voluptatem sunt vel propter sententiam de rebus politicis longe ei alia mens est. Tempore progrediente nonnulorum verborum ratio significatiove prima ac vera persaepe eo modo amittuntur, quod usu verbi haud raro confundimur.

Varia sunt hominum iudicia, homines inter se dissentiunt.

Se gerere possit oculos auresque claudendo linguamque continendo vel potestate sentiendi et dicendi, quae velis, utendo.

Secessio a sententiam libere dicendi et auscultandi facultate mihi videtur potestate genuina verbi minime coartata vere *illiberalitatem* praebere.

Ius habetur se gerendi ex suo more, quamquam submissa voce licentiam mihi adsumo dicere: sententiae adversae impatientes plura de iuribus quam de officiis disserunt. .

Pergere nulla ex parte desinas, optime Domine, scriptis, quae sunt voluptati legere, nobis favere.

Valeas quam optime !

Iosephus Faber

**Andreas Fritsch Prof.em. defensor Latinitatis indefessus**

Die Dominicâ, 11. m.Feb a.2018 h.18:18

**Andreas Nicolao sal. plur.**

Denuo tibi gratias ago, quod tanta industria tantaque constantia epistulas Leoninas componere et gratis dimittere soles. Miror autem, quod nonnulli, qui epistulas tuas accipere solebant, non tolerare videntur te quasdam sententias hominum politicorum Latine convertisse, quae ipsorum opinioni repugnant. Hoc autem mihi signum libertatis ac verae liberalitatis esse videtur, ut etiam adversariorum sententiae quamvis contrariae (si non probentur, at tamen) audiantur sive legantur. Praeterea dolet mihi, quod sodalis et amicus noster Fidelis Rädle, professor Latinitatis peritissimus, abundantiam epistularum Leoninarum queritur, quod sibi non satis temporis sit, ut eas legat. Nos enim omnes cottidie tantam multitudinem scriptorum et nuntiorum audibilium ac visibilium omnis generis accipere solemus, ut eorum solum particulam minimam eligere et diligenter legere possimus. Mihi quoque confitendum est me non omnes textus a te scriptos et missos legere posse. Tamen subinde admiror impigritatem tuam, qua etiam res difficiliores et difficillimas Latine exprimere studes et audes.

Itaque te oro, ut epistulas Leoninas componere et emittere pergas neve animum demittas.

Bene vale, et (ut Pater Eichenseer, nisi fallor, verbis Augustini vale dicere solebat) Deus te tuosque tueatur annis innumeris.

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualementem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50



				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	<b>A</b>	<b>938905-28-9</b>	<b>T.LIVIO DESCRIPTA</b>						
<b>30</b>	<b>00307</b>	<b>978-3-938905-29-6</b>	<b>FABELLAE GRIMMIANAE II</b>	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM QUINQUAGESIMAM TERTIAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Die Lunae, 12. m.Febr. a.2018**

**Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.de/>

